

sive alii quibus sua bona donavit aut cessit, ceterique omnes quorum interest professionem sustineri: in primis autem ii, si superstites fuerint, qui indicati erunt, tam auctores aut complices metus eidem reclamanti incussi ut votis invitatus se obstringeret.

» X. Quod a locorum ordinariis deputetur defensor professionum ea lege, eo modo quo ex altera ejusdem Pontificis const. *Dei miseratione*, 23 nov. 1741, deputandus est defensor pro validitate matrimonii; cui honorarium expensæque occurrentes exsolvendæ erunt ab illis quibus professus bona sua renuntiavit, vel a religione, si ii non existant aut nihil a professore renuntiatum fuerit; vel, si ordo regularis nihil possideat, ex muletis illius tribunalis, in quo causa agitata fuerit, sive alterius, ut in citata const. *De defensore matrimonii*.

» XI. Quod, post sententiam latam a superiore regulari et ordinario loci pro validitate professionis, causa finita intelligatur, si professus nullam interposuerit appellationem: si vero interposuerit, serventur præscripta in dicta constitutione.

» XII. Quod, nonnisi post duas sententias conformes nullitati professionis, professus discedere possit a religione vel habitum dimittere, sub pœnis contra apostatas latis.

» XIII. Quod iudices, in secunda aut ulteriori instantia, esse debeant ii ad quos de jure aliæ omnes causæ ecclesiasticæ, post sententiam ordinarii, in gradu appellationis devolvuntur, una cum superior regulari, non illius monasterii in quo reclamans professus est, sed alterius monasterii ejusdem ordinis in eorum civitate aut diœcesi existentis; vel, eo non extante, cum superiore vicinioris monasterii ejusdem ordinis, seu persona ab eodem superiore deputanda; qui tamen superior ad ferendam sententiam non admittitur, si causa, in secunda aut ulteriori instantia, ad S. Congreg. aut Rotam devolvatur.

» XIV. Quod si iudicium nullitatis institutum fuerit post elapsam quinquennium, ad Sanctam Sedem recurrendum omnino sit a locorum ordinariis et superiore regulari pro facultate restitutionis in integrum adversus illius lapsum.

» XV. Quod, sub pœna nullitatis actorum, etiam in causis discutiendis super restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii, ex commissione regularibus superioribus ac locorum ordinariis a S. Sede directa, intervenire debeat, tam in prima quam in ulterioribus dubii propositionibus, defensor professionis.

» XVI. Quod idem servetur tam a cardinalium congregationibus quam a Rotæ auditorio, sive quacumque congregatione specialiter deputata. Et defensor deputetur ab eo qui est caput tribunalis, expensis eorum de quibus supra.

» XVII. Quod ad fruendum beneficio restitutionis in integrum præcedere debeant duæ conformes favorabiles resolutiones, sub pœnis pariter contra apostatas latis, si reclamans post primam e claus-

tris migrare, multoque magis si habitum dimittere præsumpserit.

Ita Giralduus, dictæ constitut. *Si datam analysis præbens*, *Exposit. jur. pontif.* part. II, sect. 473.

Denique Cf. *Revue des sciences ecclésiast.* tom. IV, pag. 496, casum singularem restitutionis in integrum et nullitatis professionis, anno 1861 a S. C. Conc. annuente Pontifice resolutum, in gratiam regularis cujusdam qui, anno 1833, vota solemnia emiserat, et anno 1857 tantum ad Sedem apostolicam preces obtulerat adversus validitatem suæ professionis. Præter violentiam sibi factam ex parte familiæ, orator narrabat annum sui novitiatus non fuisse completum ex defectu scilicet quinque dierum, quem defectum quinque testes ore unanmi affirmabant exstulisse.

ADNOTATIO X (bis).

Lib. III, Decretal. Tit. XXXI, § VIII, n. 259; pag. 61.

DE PROFESSIS EJICIENDIS ET EJECTIS

Auctor noster, in paragrapho octavo de potestate ejiciendi regulares incorrigibiles, meminit tantum decreti S. C. contra apostatas et ejectos, jussu Urbani VIII, die 21 sept. 1624 edito, quod incipit *Sacra Congregatio*, et de moderatione hujusce decreti, virtute alterius, die 24 julii 1694 editi, et ab Innocentio XII approbati, nec ullum verbum facit. Porro sic se habet decretum Innocentii:

« I. Quod, firmis ac in suo robore semper manentibus prædictis decretis de apostatis, etiam secundum eam partem ubi agitur de ejectis et ejiciendis, tanquam SS. canonibus et communiore sanctorum Patrum menti conformibus, quoad ejectos eadem serventur quæ in alio simili decreto, hac præsentis die emanato, de apostatis et fugitivis statuta sunt et indulta, quodque, ad præscriptam legem san. mem. Gregorii IX, in cap. fin. *De regularibus*, annuatim fugitivi requirantur, et respective cogantur ad claustra reverti.

» II. Quod annus integer qui in prædictis decretis anni 1624 præscribitur in pœnitentia et jejuniis ad ejiciendos incorrigibiles, ad sex tantum menses continuos in posterum coarctetur et restringatur.

» III. Quod facultas generalibus ordinum de consilio et assensu sex ex gravioribus religiosis, in singulis capitulis et congregationibus ad causas ejiciendorum eligendis, attributa, extendatur etiam ad quoscumque provinciales qui, electis pariter in congregationibus provincialibus sex gravibus et propria provincia religiosi, a generali confirmandis, de illorum consilio et assensu causas hujusmodi cognoscant et ad effectum ejiciendi incorrigibiles suæ provinciæ et ejectionem pronuntiandi, accedente approbatione generalis sufficiant, salva

semper S. Sedis et S. C. concilii, in casu recursus et appellationis, auctoritate.

» IV. Quod in posterum processus conficiantur juxta regulas, constitutiones et ordinationes et stylum cujusque ordinis et religionis, donec aliter fuerit a S. C. provisum.

» V. Sub interminatione divini iudicii, necnon privationis vocis activæ et passivæ, ac dignitatum et officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad eadem in posterum obtinenda, quibuscumque prædictorum ordinum superioribus districtè præcipit et mandat omnia et singula decreta san. mem. Clementis VIII, registrata post decretum san. mem. Urbani VIII de apostatis et ejectis, *Regulares, Sanctissimus* et *Nullus*, una cum aliis subsequentibus decretis, provisionibus, ordinationibus et respectivo moderationibus, bis in anno legi, eadem ad unguem servari, pœnas in eisdem contentas innovari et capitibus ordinum intimari.

Nota I. cum Giraldo, quod cum in Urbani decreto statuatur ut nemo vere incorrigibilis censeatur, nisi, præter carcerationem a se præscriptam, concurrant ea omnia quæ ad hoc, ex juris communis dispositione requiruntur. Hæc ex dicto jure concurrere debent:

« 1. Ut commiserit aliquod grave delictum, talibus circumstantiis qualificatum ut in religionis decus, populi scandalum, et religiosorum contagium cedat, puta notabilis proprietatis, furtum, fornicatio, sodalitas, apostasia... 2. Ut de delicto legitime constiterit vel per ipsius confessionem aut per testium probationes, utque pluries deliquerit, et trina monitione præmissa, punitus fuerit pro singulis excessibus... ideoque, præter dictam trinam monitionem, ad probandam incorrigibilitatem, semestrem carcerationem præcedere debet trina delictorum ejusdem vel diversi generis juridica punitio. Cf. Matthæucium *Official. cur.* cap. xxv, nn. 19, 20, 27, 28.

» Not. II. Quod cum incorrigibilis probandus sit in carcere per sex menses in jejuniis et pœnitentia, putat Thesaurus, *De pœnis, vº Religiosorum ejectio*, cap. XII, non requiri ut hoc jejunium toto semestri perduret, sed sufficere si frequenter seu multoties illud peragat.

» Not. III. cum Benedicto XIV, *De syn. diœc.* lib. XIII, cap. xi, n. 31, quod si ejectus appellaverit ab ejectionis sententia, etiam intra terminum a lege præfinitum, non potest extra carcerem sua jura experiri, sed debet se in carcere formali suæ religionis constituere.

» Not. IV. Quod, in casu paritatis votorum sex patrum conjudicium, nequit definitive procedi ad sententiam expulsionis, ex decreto S. C. Conc. statuente « sententiam ejectionis a religione fieri » debere saltem de voto majoris partis sex patrum electorum. » Neque itidem ad eam deveniri potest, si intra sex menses carcerationis ejiciendus e carcere aufugiat, quia continua semestris carceratio, ex allato Innocentii decreto, est de substantia probationis expulsionis, qua non servata, corrui-

actus; in quo casu recurrendum ad S. C. pro declaratione seu potius sanatione. Matthæucci, loc. cit., n. 21.

» Not. V. cum prædicto Thesaurio, loc. cit. honorum administrationem, ab expulso post ejectionem acquiritorum, ad ipsum pertinere, donec manet expulsus et non intrat aliam religionem post vero ejus mortem, ea de jure communi spectare ad episcopum ut applicet in bonum diœcesis. Sed hodie spectant ad cameram apostolicam...

» Not. VI. Legitime ejectionem teneri sub mortali se emendare et curare ut denuo a religione recipiatur, sicuti et servare tria essentialia vota religionis. Votum tamen paupertatis suspenditur quoad executionem, juxta capacitatem proprii status. Quoad votum vero obedientiæ, loco superioris regularis subintrat ordinarius cujus jurisdictioni, post notificationem expulsionis ipsi faciendam a dicto superiore, subesse debet, atque incedere in habitu et tonsura, ex decreto Cong. Conc. § IV sub Urbano VIII anno 1624. Tenetur etiam sub mortali servare alia vota vel simplicia vel solemnia annexa suæ religioni quæ compatiuntur cum ejus statu. Ita doctores communiter cum S. Antonino, *part. III, tit. XVI, cap. v, § 8.*

» Not. VII. Ex cit. decreto § X suspensum esse ab exercitio ordinum, donec ad religionem redierit, sublata locorum ordinariis facultate suspensionem dispensandi vel moderandi...

» Not. VIII. Eundem legitime expulsus non habere actionem petendi a religione alimenta, ut probat Benedictus XIV, *De Syn. diœc.*, lib. XIII, cap. xi, n. 23, licet sit Societatis Jesu, et promotus fuerit post emissam vota simplicia ad sacros etiam presbyteratus ordines, ex const. Benedicti XIII *Injuncti* 14 junii 1728. Qui tamen, idest ejectus a Societate, non redditur inhabilis, quemadmodum redduntur alii ejecti, ad ecclesiastica munia obeunda et beneficia assequenda, ex decr. S. C. conc. 11 febr. 1662, relato ab eodem Benedicto XIV, loc. cit., n. 21. » (*Exposit. jur. Pontif.*, part. I, sect. 643.)

ADNOTATIO XI.

Lib. III, Decretal. Tit. XXXI, § IX, n. 277; pag. 65.

DE TRANSEUNTIBUS AD ALIAM RELIGIONEM.

In decretali *Viam ambitiosæ*, hoc. tit. in extrav. comm. cap. 1, decernitur: « Ne mendicantes ad aliam religionem possint transire quam Carthusianorum, sub pœna excommunicationis lata tam in recipientes quam in recitantes. » « Bene docet Lessius, lib. II, cap. XLI, 2. 104, eam extravagantem quoad hoc non esse receptam, aut intelligi de transeuntibus sine legitima causa, ut colligitur ex illis verbis quæ leguntur in dicta extrav. « Fucatis coloribus et ut liberius degant et beneficia eccle-

» siastica consequi valeant. » Ergo a sensu contrario, ubi non sunt facti colores, illa decretalis non procedit...

» Cæterum de stylo curiæ nemo transire potest de una ad aliam religionem, etiam strictiorem, sine licentia Sedis apostolicæ, Mathæucci. *Official. cur.*, cap. XLI, n. 25; Monacelli, tom. I, tit. XVI, form. III, n. 18. » (*Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 342.)

Benedictus XIII, constit. *Licet sacra*, 13 febr. 1726, hujusmodi transitum interdixit, etiamsi de apostata transferendo ageretur, ad quamlibet militarem aut hospitalarem, vel hospitalarem simul et militarem, quamvis in eo claustralis observantia vigeret; sublata quibuscumque facultate concedendi transitum ad dictos ordines, etiam S. R. E. Cardinalibus, legatis, nuntiis, vicelegato Avenionensi, utrique congregationi episcop. et regularium, ac conc. Trident. interpretum, ipsiq; etiam cardinali majori pœnitentiario. Hanc facultatem etiam Benedictus XIV denegavit majori pœnitentiario, constitut. *Pastor bonus*, 13 april. 1744, in casu præmemorato; sed pro aliis casibus illam eidem concessit, et sic derogatum est decretali prædictæ *Viam ambitiosæ*, quæ transitum licentiam impertiendi absolute interdicit facultatem majori Pœnitentiarii. Hæc sunt autem verba Benedicti XIV :

« Quoad transitum vero de una ad aliam religionem, non solum valeat (major pœnitentiarius) illum concedere a laxiori ad actiorem juxta cap. *Licet*, *De regulis et usus*, verum etiam ad æqualem, et ab archiori ad laxiorem, ob justas tamen et graves respective causas ab eodem majore pœnitentiario probandas; audito prius superiore ordinis a quo, et cum consensu superioris ordinis ad quem faciendus est transitus. Pro majore autem transitu firmitate, in his omnibus casibus possit idem major pœnitentiarius statuti et privilegiis apostolicis quomodolibet obstantibus opportune derogare.

» Verum absteineat ab hujusmodi transitu concedendo ad alias religiones seu ordines, præterquam ad illas seu illos in quibus claustralis et regularis observantia vigere dignoscatur; quod si de tali claustrali et regulari observantia ullatenus dubitetur, exquirenda erit authentica ordinarii attestatio. Abstineat pariter a transitu prædicto concedendo ad ordines hospitalares et militares, quamvis in illis claustralis et regularis observantia vigeret, nisi forte ad ordinem S. Joannis de Deo. Neque item eundem transitum concedat ad ordinem S. Benedicti antiquioris observantiæ, aut alias consimiles congregationes cujuscumque ordinis fuerint. »

Si vero superiores duorum ordinum dissentiant in admittendo transitum religiosi a laxiori ad strictiorem ordinem juxta const. Urbani, devolvitur judicium ad S. Sedem a qua derogari solet consensui superioris ordinis laxioris, ut ex altera ejusdem Benedicti XIV, *Ex quo*, 14 januar. 1747.

« Item major pœnitentiarius, ex cit. constit.

Pastor bonus, concedere potest transitum ab uno ad aliud monasterium monialibus existentibus tantum ultra montes, ob legitimam causam, committendo hujus transitus exequendi facultatem arbitrio ordinariorum cum clausulis opportunis pro casuum varietate.

« Nota hic. const. Urbani VIII, *Honorum*, 24 febr. 1643, quod quicumque regulares, ac etiam ejecti aut translati ad alium ordinem, etiam de licentia Papæ, qui ex instituto, in quo prius professionem emisissent, votum habent de non procuranda vel acceptanda dignitate aut prelatura extra eorum ordinem, remanent adstricti dicto voto, reservata sola Papæ potestate illud irritandi seu præceptum faciendi de ea acceptanda. Hæc tamen constitutio loquitur tantum de voto tam solemnem quam simplicem, non de promissione, ut ab aliquibus regularibus fit.

» Decretum Trident., cap. XIX, sess. XXV, *De regularibus*, circa transitum regularium de uno ad alium ordinem, quo insuper cavetur ut translato modo superius præscripto, quamvis ex ordine canonicorum regularium sint, omnino incapaces existant beneficiorum secularium etiam curatorum, ampliatur est a Benedicto XIV constit. *Quod inscrutabili*, 9 jul. 1743, extendente hujusmodi prohibitionem ad canonicos regulares Lateranenses et SS. Salvatoris, licet nunquam translato, quibus interdicitur consecutio nedum beneficii secularis et curati, sed etiam cujuscumque beneficii simplicis et pensionis absque indulto apostolico, non obstante decretali Innocentii III, relata in cap. 5, *Quod Dei timorem*, *De Statu monach...*

» Item ex altera ejusdem Benedicti constit. *Quo magis*, 18 dec. 1742, neque præfici possunt presbyteri Congregationis missionis beneficiis ecclesiasticis personalem residentiam requirentibus, vel animarum curam annexam habentibus extra dict. congregationem, sine dispensatione Pontificis, vel superioris generalis ejusdem Congregationis in actu dimissionis tantum. » (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.*, part. II, sect. 50.)

Huc recurrit responsum Sanctæ Sedis anno 1852 datum, scilicet post decretum 25 januarii 1848 datum, cujus textus jam sub Adnot. I hujusce voluminis insertus fuit.

« Beatissime Pater. — Superior Carmelitarum discalceatorum provinciæ Aquitanicæ in Gallia, ad pedes S. V. humillime provolutus, exposulat declarationem ad sequentia dubia super observantia decreti *Romani Pontificis*, editi die 25 januarii 1848.

» 1. Quando postulantes, novitii, vel professi alicujus congregationis petunt admitti ad nostram religionem, litteræ testimoniales petendæ sunt a superioribus alterius congregationis in quæ fuerunt, vel ab ordinario?

» 2. Si a superioribus, an a superioribus generalibus vel localibus; et quid, si in diversis domibus vel conventibus fuerint?

» 3. In Hispania adest Patriarcha Indiarum quæ

jurisdictionem exercet in universum exercitum per suos capellanos; litteræ testimoniales pro militibus petendæ sunt a prædicto patriarcha vel ab ordinario? Quam Deus, etc.

» Ex audientia Sanctissimi, die 5 nov. 1852. — Sanctissimus propositis dubiis respondendum mandavit, scilicet :

» Ad 1. Quoad novitios et professos sæcularizatos, ab ordinario; quoad professos, qui in congregatione vel ordine in quo provinciales non habentur, loco provincialium, a superioribus localibus. Et si professus in diversis domibus vel conventibus commemoratus fuerit, sufficere testimoniales superioris generalis, vel superioris provinciæ vel domus, quatenus provincialis non habetur, in qua postremo tempore moratur. Cæterum hujusmodi superiores, antequam testimoniales concedant, diligenter inquirere debeant de qualitatibus religiosi.

» Ad 2. Possunt peti vel a superioribus generalibus vel a provincialibus; vel quatenus agatur de congregatione vel ordine in quo provinciales non habentur, loco provincialium, a superioribus localibus. Et si professus in diversis domibus vel conventibus commemoratus fuerit, sufficere testimoniales superioris generalis, vel superioris provinciæ vel domus, quatenus provincialis non habetur, in qua postremo tempore moratur. Cæterum hujusmodi superiores, antequam testimoniales concedant, diligenter inquirere debeant de qualitatibus religiosi.

» Ad 3. Petendæ erunt tam ab ordinario originis quam a patriarcha. — A. BIZZARRI, a secretis. » (*Collect. in usum Secret. S. C. episcop. et regularium*, pag. 900.)

ADNOTATIO XII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXII. De conversione conjugatorum, n. 20; p. 69.

DE VOTO CONTINENTIÆ EMITTENDO A CONIUGE CUM ALTER RELIGIONEM INGRESITUR.

« Quamvis in decretali *Uxoratus*, cap. 8, huj. tit. præcipiatur ut publice in conspectu Ecclesiæ ab uxore jam sene, remanente in sæculo, continentie votum nuncupari debeat, de cujus consensu maritus regularem professionem emisit, non inde sequitur illud esse solemnem.... Sed ex hac decretali, prout optime animadvertit Benedictus XIV, *De syn. dioc.*, lib. XIII, cap. XII, n. 11, tantummodo infertur perpetuæ continentie votum a manente in sæculo concipiendum et rite perficiendum esse coram testibus et superiore ecclesiasticæ, ne unquam de illius nuncupatione dubitari possit.

» Huc spectat solide animadversum ex variis facti speciebus mature discussis in Congr. concilii ab eod. Benedicto, loc. cit., n. 16 : « Sacri canones adigunt quidem virum ætate florentem ad professionem in monasterio nuncupandam, vel, » quatenus in proventa jam ætate constitutus sit, » ad emittendum in sæculo simplex castitatis votum, dum uxor religiosum institutum amplectitur, et non tunc cum jura matrimonii sunt læsa. Si enim hujusmodi jura ab uxore per adulterium læsa fuerint, quod tunc juniore viro

» in sæculo manenti imponitur onus emittendi » votum simplex castitatis (juxta statuta a congregatione particulari habita coram Innocentio X » ut cap. I refertur, n. 15) præscriptum dici debet ad quamdam veluti tutiorem cautionem; » cui quidem stricto jure locus non est, quoties » antea viri vita nullam futuræ incontinentiæ » suspicionem ingerit. » Nota tamen quod hoc votum in hypothesi emittendum esset a viro innocente dumtaxat donec uxor religionem professam viveret, ut rescripsit ead. Congregatio in *Januen.*, 2 maii 1722, in *Thesouro resot.* ejusd. Congr. t. II, pag. 164. » (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.* part. I, sect. 346.)

ADNOTATIO XIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXIII. De conversione infidelium, n. 7; pag. 74.

DE FILIO EDUCANDO APUD MATREM AD FIDEM CONVERTENDUM, SECLUSO PATRE.

« Decretalis *Ex litteris*, cap. 2, huj. tit. in qua statuitur filium apud patrem ad fidem conversum post triennium educari debere, non vero apud matrem in judaismo remanentem, cum in illo non vero in hac patria potestas sita sit, idque eo magis quod ita religionis favor exigat, extensa est a Benedicto XIV, etiam ad matrem ad fidem conversam cui, non patri in infidelitate remanenti, assignandum esse declaravit in epist. *Probe te*, 15 nov. 1754, ita ut illi jus competat offerendi prolem ad baptismum, ut etiam statutum fuit in concilio Toletano IV, can. *Judei*, caus. XXVIII, quæst. I, idque « eadem utique ratione favoris » religionis, cui nec juris communis regulæ ullæ » repugnant; » quemadmodum doctissime ostendit Ambrosius Le Gauffre in *Synopsi decretal.* hoc eod. titulo. » (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.* part. I, sect. 347.)

A præsentis materia non sunt aliena congregationis Sancti Officii responsa quæ sequuntur :

« Die 3 martii 1633 : Queritur an infantulus filius Judæi a nutrice christiana baptizatus, in scio patre Hebræo, sit vere baptizatus et hujusmodi baptizatus teneatur, et apud quem debeat infantulus educari? Respondetur infantulum esse vere baptizatum, baptismumque esse validum, eundemque educandum penes christianos a quibus instruitur, et cum pervenerit ad usum rationis posse cogi ad perseverantiam in fide catholica, eidemque providendum a patre si habeat in bonis, sin minus in necessariis ad minus ad sustentationem.

» Die 30 martii 1638. Circa baptismum datum parvulæ puellæ annorum trium circiter, filiæ Hebræorum, a Faustina christiana invitæ parentibus, EE. DD. censuerunt parvulam puellam esse vere baptizatam, concurrente materia, forma et inten-

tione; baptismum probari unico teste; et quamvis filii Hebræorum non possint invitibus baptizari, si tamen de facto baptizentur, valere baptismum et characterem imprimi, et filiam baptizatam penes christianos alendam; mulierem baptizantem acriter monendam ut in posterum caveat a similibus; notificandum vero populo non licere, invitibus parentibus, filios Hebræorum baptizare quia licet finis sit bonus, media non sunt licita, præsertim etante bulla Julii III imponente pœnam mille ducatorum et suspensionem baptizantibus filios Hebræorum invitibus parentibus.» (Benedictus XIV, const. *Postremo mense*, 28 febr. 1748, n. 27.)

Cf. Litteram encyclicam a RR. DD. archiepiscopo Turonensi de quodam puero judæo Mortara nomine, anno 1859, ad clerum Turonensem directam.

ADNOTATIO XIV.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXIV. De voto et voti redemptione, n. 28; pag. 79.

DE VOTIS PAPÆ RESERVATIS.

Præterquinque vota ab auctore nostro hic enuntiata, nulla alia sunt Papæ reservata, ut declaravit Benedictus XIV, in epist. encycl. ad pœnitentiaros et confessarios pro anno sancto in Urbe deputatos, 3 dec. 1749, n. 42, per hæc verba: « Alii sunt qui inter vota Summo Pontifici reservata votum adjungunt visitationis sanctæ domus Lauretanæ, verum hujusce rei nulla probatio occurrit. Alii denique in hac classe omnia perpetua vota reponunt, id quod errori locum præbere potest nisi aliquid addatur. Propositio enim intelligi debet de solo voto perpetuo quo quis episcopatum acceptans obligationem suscipit animarum sibi commissarum curam retinendi, juxta responsum Innocenti III in cap. *Nisi cum pridem*, *De renuntiati.*, ac probationum theologorum doctrinam, quemadmodum apud Sylvium in 2, 2. D. Thomæ, quæst. VIII, art. 12, concl. 2, videre est.»

ADNOTATIO XV.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXIV, n. 53; pag. 83.

DE VOTIS EMISSIS ANTE PROFESSIONEM REGULAREM.

« Quamvis ex decretali *Scripturæ*, cap. 4, hoc tit. inferri posse videatur temporalia tantum vota ante professionem regularem emissa extingui per ipsam professionem; hoc tamen privilegium extenditur unanimi consensu doctorum, ex paritate rationis, ad quæcumque vota etiam perpetua, inter quos S. Thomas, 2, 2, quæst. LXXXVIII, art. 12 ad 1, et in 4, dist. XXXVIII, quæst. 1, art. 4,

quæstione IV, ad 2. Neque opus est pro hujusmodi extinctione profitentis intentione, ut nonnulli perperam opinati sunt, cum per ipsum professionis actum obtineatur. Et ratio est quia omnia alia opera, Deo promissa, sunt particularia, eminenter contenta in professione religiosa, per quam profitens se et omnia sua divino dedicat obsequio, moriens priori vitæ, et nihil, ne propriam quidem vitam, sibi reservat. S. Thomas loco citato.

» Limitat tamen Cabassutius, *Jur. can. theor. et pract.*, lib. I, cap. xx, n. 4, cum Lessio, extingui quidem omnia alia vota, licet nihil de illis cogitet, nisi de his ita cogitet ut explicite horum obligationem perdurare intendat.

» Alia limitatio desumitur ex S. Anselmo, qui, lib. III, epist. 33 ad Richardum monachum, idem tenendum esse declarat, dummodo non fuerit jurata...

» Item ex communi sententia limitanda est regula, si vota realiter emissa sint ad favorem tertii ab eodem acceptata, cum transeant in contractum, naturalem obligationem inducentem, quæ tolli nequit, nisi ex remissione ejusdem acceptantis.

» Et hic obiter notandum est quod alumni congregationis de Propaganda fide præstant juramentum nullam religionem, societatem aut congregationem regularem ingrediendi, nec in earum aliqua profitendi sine speciali licentia Sedis apostolicæ, vel dictæ congregationis; si secus fecerint, non relaxantur ob obligatione prædicti juramenti, imo eorum professio est ipso jure nulla, ut ex constit. Alexandri VIII, *Cum circa*, 20 jul. 1600. » (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.* part. I, sect. 548.)

ADNOTATIO XVI.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXIV, n. 53; pag. 83.

DE VOTIS IN GRATIAM TERTII EMISSIS.

Cf. Adnotationem præcedentem.

Insuper noto notius est quod Summi Pontifices, in litteris apostolicis indulgentiam plenariam et facultates extraordinarias pro confessariis et tempore jubilæi vel ad instar concedentibus, reservare soleant vota in favorem tertii emissa; ita in specie litteræ cardinalis præfecti S. C. episcop. et regular. die 25 jul. 1850 datæ: « ... Et insuper vota quæcumque private emissa, etiam jurata, et Sedi apostolicæ reservata, (castitatis, religionis, et obligationis quæ a tertio acceptata fuerit, seu in quibus agatur de præjudicio tertii semper exceptis, quatenus ea vota sint perfecta et absoluta, nec non pœnalibus quæ præservativa a peccatis nuncupantur) in alia pla et salutaria opera dispensando commutare; injuncta tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus absolutionis et commutationis casibus pœnitentiæ salutari, aliisque de jure injungendis. »

ADNOTATIO XVII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXV. De statu monachorum et canonicorum regularium, § I, n. 25; pag. 88.

ADVERSUS RELIGIOSOS PROPRIETARIOS.

Declarationes S. C. concilii:

« I. Queritur an, ex dispensatione inferiorum a Summo Pontifice, liceat regularibus possidere vel tenere agros, annuos redditus, aliaque bona, immobilia videlicet et mobilia superflua, non obstante decreto concilii sess. XXV, *de Regular.* cap. 2? »

» II. An propter talem dispensationem seu scientiam superiorum possidentes, vel tenentes mobilia vel mobilia superflua, a culpa vel a pœna excusentur? »

» III. An superioribus asserentibus hujusmodi licentias posse concedere fides adhibenda sit? »

» IV. An superiores arbitrio et præfinitioni stare debeant regulares quoad mobilia superfluitatem et convenientiam? »

» V. An, superiore quantum requisito, necessaria suis regularibus negante vel subtrahente, liceat ipsis clam, vel invito eo, illa sibi comparare seu retinere? »

» VI. Et quatenus liceat, an itidem liceat cum necessaria ideo negantur vel subtrahuntur quia monasterii facultates non suppetunt? »

» VII. An dicti superiores regulares dictum caput 2 declarare et interpretari possint? »

» Ad I. Congregatio concilii respondit non licere.

» Ad II. Non excusari neque a culpa, neque a pœna ipso facto incurrenda.

» Ad III. Minime adhibendum.

» Ad IV. Nisi de excessu arbitrii constiterit, utique stare debere, habita videlicet ratione personæ, officii et regulæ, statusque paupertatis quam professi sunt et cæterarum itidem qualitatum.

» Ad V. Non licere.

» Ad VI. Licere, si præcisa necessitas sit ad individui sustentationem; cæterum communem penuriam ab omnibus percipiendam usque adeo ut si quid privatim alicui delatum vel ab ipso partum fuerit, id omne ad superiorem recta deferri oporteat, qui ex eo primum succurrat necessitati cujus intuitu illud obvenerit, si peculiari aliqua necessitate ultra communem prematur, reliquum conventui incorporetur et in communem cedat utilitatem.

» Ad VII. Non posse. — Hier. card. MATTHÆJUS. (Quaranta, *Summa Bullarum, vº Casus reservati*, apud Giraldum, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 555.) »

« Hic serio monitos velim, inquit idem Giraldus, quoscumque paupertatis voto tam simplici quam solemniori, et hoc potissimum obstrictos, ne cum periculo damnationis æternæ se allucinentur putantes sibi licitam esse, citra sacrilegam dicti voti fractionem, pecuniam cujus usum habet quicumque ludo exponere, et præsertim vulgo *del Lotto*, ea

falsa innixi ratione quod id ludi genus, jam prohibitum a Benedicto XIII die 12 aug. 1727 etiam sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ, permissum deinde fuerit a Clemente XII in ejus motu proprio 9 dec. 1731 incipiente *Tra le molte angustie* impresso in typographia camerale. In hoc enim expresse excluduntur quicumque paupertatis voto obstricti sint, ibi: « Perciò ci contentiamo che » nel nuovo Lotto da noi, come sopra, permesso » (Romæ tantum et tota ecclesiastica ditione duntaxat) possa qualunque persona dell' uno e l'altro sesso, non comprese però quelle che ne venissero impedita dal vincolo de' voti di povertà. » Quæ ultima verba repetita etiam leguntur in edictis de mandato ejusdem Pontificis publicatis ab Eminentiss. Urbis vicario, et a generali thesaurario sub die 12 dictionum mensis e anni, ead. typographia impressis...

» Neque tandem ad excusandas excusationes irpeccatis subsidium sibi ita tuto aucupari se posse credant a vivæ vocis oraculo quod prolatum fuisse dicitant a laudato Clemente, post publicationem relati motus proprii, licere scilicet paupertati vinculo obstrictis parvam aliquam pecuniæ summam prædicto ludo exponere, non obstante prohibitione in eodem motu proprio expressa, cum de eo nullo modo constet. Et quamvis ex attestatione aliquorum fide dignorum, ut dicitatur, constaret, præsumi nequit tantum Pontificem, et zelotypum ad sartam tectam fidelium pietatem servandam, voluisse dicto vinculo obstrictis aperire viam paupertatis, ipsis indulgendo, non ut raro, sed ut toties quoties quolibet anno exponere possent prædicto ludo parvam aliquam summam, quæ integraret, ut dixi, magnam summam totalem contra votum paupertatis. Unde de asserto vivæ vocis oraculo dicendum est merum fuisse commentum, ab aliquibus excogitatum ad propriæ indulgentium cupiditati, palliandumque proprietatis vitium.

» Si qui vero citra lethalem culpam se tuto id, non semel sed pluries in anno, facere posse credant, aut vi hujus præsumpti oraculi, vel alterius tituli puta ad subveniendum vel suæ, vel loci pii, vel alienæ paupertati, ipsi viderint, cum non meum sit de iis iudicium ferre. Audiant tamen quid de iisdem sentiat S. Antoninus, part. II, tit. I, cap. XXI, § 3: « Sed et religiosi, si quæ habent ad usum vel per administrationem, illa tamen donare vel alienare non possunt illicite, ut in ludis. » (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 558.)

ADNOTATIO XVIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXV, § 2, n. 79, pag. 102.

DE EPISCOPO VEL SUPERIORI REGULARI INGREDIENTE CLAUSURAM MONIALIUM VISITATIONIS CAUSA; DE MONIALIBUS PROPTER INFIRMITATEM EXTRA CLAUSURAM DESENTIBUS.

Caput 5 sess. XXV, *de Regular.* decernens monasteria monialium, regularibus subjecta, visitari